

1550 batur, fore ut Imperii dignitas ad Philippum filium transiret; cum supremis votis ardentissime, quemadmodum antea diximus, exoptaret, ut regna, ac provinciae, quibus imperabat, multisque nominibus aucta potentia, ac vires minime distractae, ad filium, posterosque descenderent. Eiusmodi est mortalium natura, ut immortalitatis particeps brevem temporis usuram, qua fruitur, extendere, ac producere per innumeratas successiones temporum vana opinione nitatur. Ac si quis attentius inspiciat, non tam Hispaniam, ac Belgium, quam Imperii decus, ac Germanos Cæsaris potentiae suffragatos fuisse intelliget, quippe qui saepius ad Insubres defendendos, trjectis Alpibus, in Italiam descenderint; saepius Belgio a Gallis petito praesto fuerint, Cæsare alioqui divulsis, ac se-junctis regnis, & provinciis ægre opem laturo. Inde ut eam auctoritatem, ac vires filio heredi relinquenter, Ferdinandum fratrem promissis abortus, quidquid ad illius opes, atque amplitudinem augendam, ad Daciam obtinendam, ad Pannoniae urbes, atque oppida recuperanda attineret, quæcumque adversus Turcas auxilia poposcisset, effusissime pollicebatur. Verum neque Ferdinando ea res satis placebat, & Maximilianus filius, qui in Hispaniam prefectus, Philippo absente, iis regnis imperabat, ab ejusmodi consiliis aversus, in Germaniam reverti decreverat, Genuamque novembri mense exeunte pervenerat; ad quem Senatus Joannem Michaelium officii causa legatum designavit. Is cum morbo correptus injunctum sibi munus explere non posset, Leonardo Contarino, qui Reipublicæ causa Pischerium se contulerat, ac tunc Veronæ prefectus erat, Patres mandarunt, ut Mantuam ad Maximilianum invisendum proficeretur. Maximilianus Tridento Augustam Vindelicorum versus iter arripuit.

*Joannes
Michaelius
ad Maxi-
milianum
ex His-
pania redeun-
tem orator.*

*Leonar-
dus Conta-
renus Mi-
chaelio a-
grotanti
suscep-
tus.
Cæsar Se-
nus arcem
extrui
jubet.*

Verum neque felici Africanæ expeditionis eventu, neque initis de Dacia invadenda consiliis contentus Cæsar, propagandi in Italia imperii cupidine magis in dies accendebar; & cum ex Senensium dissensionibus illius urbis potiundi opportunitatem adesse intelligeret, Didacum Mendozium Senas contendere, arcemque in ea urbe excitare iussit, qua relutantes ciues coercere, ac pro libito dominari posset. Pontifici vero ea de re conquerenti, nulla satis idonea excusatione in-

ven-